



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

DECRETA EDITA
in Synodo Diœcesana septima
Mediolanensî.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Nos Carolus S. R. E. Presb. Cardinalis Tit. S. Praxedis, Dei Apostolicæque sedis gratia Archiepiscopus sanctæ Mediolanensî Ecclesiæ, hæc vt infra monemus & decernimus.

Decretum. I.

De synodali disciplina



MULTIPLEX, & graue admodum munus, cū in omnibus alijs curæ Archiepiscopalis rationibus, tum vero etiam in omni synodali actione nobis impositū esse agnoscimus. Quod sanè quidem non modò pastorali quodam desiderio, aut voluntatis significatione, sed studio, officio, atque adeo omni opere sanctè religiosèq; exequi debemus. Cū autem conscij simus, eam esse humanæ conditionis nostræ imbecillitatem, vt [non sumus sufficientes ne cogitare quidem aliquid ex nobis, tanquam ex nobis;] sed sufficientiam omnem, quæcunq; sit, à Deo patre luminū existere, qui postulantis à se sapientiā [dat omnibus affluenter, & non improperat eis:] ideo non viribus nostris que exiguæ sanè sunt, confisi, sed Dei vnus cuius ministri sumus, ope atque auxilio freti, toto animo totaq; mente supplices illud ab eo deprecamur, vt quæcunq; in hac diœcesana synodali actione opportuna sunt, in ijs vel promouendis, vel decernendis, vel exequendis, ad esse nobis sancti sui spiritus lumine dignetur.

Monemus præterea sacerdotes omnes & singulos, vt & sanctissimis precibus, & Missæ sacrificio, synodalem hanc nostrā actionem, quam hodierno die aggredimur, adiuuare studeant; orantes in primis pro optimo eiusdē synodalis actionis successu, vt ciuitas & diœcesis hæc Mediolanensîs salutaribus adiuta disciplinæ institutis, in dies suffragantibus sanctissimi Patris Ambrosij, & beatissimi

morum Gerasij & Protasij patronorū nostrorū, & aliorum sanctorū meritis, fructus asserat vberiores in Domino. Clerici præterea omnes & singuli, frequentiori orationis studio illud idem piè à Deo precentur.

Quoniam verò nihil ferè sæpius diuinis literis commendatum est. [Et reliqua, quæ mox in superiori synodo adhibita sunt ad illius celebrandæ initiū.] Alia item stata deere, ad omnem synodi inchoandę rationem vsuq; accommodata, eodem loco explicata sunt.

Decretum. II.

VOBIS præterea omnibus & singulis, qui huic synodo iure interesse debetis, pena excommunicationis proposita vetamus, vt ne vestrum aliquis, antequam hæc nostra diœcesana synodus de more absoluta ac dimissa sit, ab vrbe Mediolano discedat, facultate sibi à nobis non concessa: sed huic synodo, synodalibusq; sessionibus aut conuentibus quibuscunq; que qui indicentur, omnes & singulos vos interesse iubemus eadem proposita pena.

Ne quisquē Mediolano ante Synodi dimissionē recedat.

Decretum. III.

ET quoniam veteris instituti solennisq; ritus est, in eiusmodi synodali conuentu pro publicis rebus orationem fieri: ideo in omni prece, & à sacerdotibus præsertim in Missæ sacrificio, his synodalibus diebus ad Deum orationem adhiberi edicimus pro his vt infra ordine descriptis.

Pro quibus orandum tempore synodi.

Pro sanctiss. D. N. Gregorio Papa XIII.

Pro sanctæ Ecclesiæ tranquillitate.

Pro Serenissimo Rege nostro Catholico Philippo.

Pro felici prosperoque successu rerum & status Regni Portugallie.

Pro sedandis tumultibus Flandriæ.

Pro Christianæ disciplinæ cleri populiq; conformatione & progressionē, in vrbe, diœcesi, & prouincia Mediolani.

Pro ministerio omni Archiepiscopali nostro, præsertim in hac rerum synodali tractatione.

Pro ministris nostris, quos in huius vrbe, diœcesis, & prouinciæ nobis commissæ culturam adhibemus.

De-